

ralitas cujus capax est voluntas consistit in respectu, et tendentia positiva, sed aliqua consistet in negatione, seu privatione, qualis est moralitas omissionis, et sic moralitas in communi non est positiva tendentia, et ordo. Tum, quia voluntas ex ipsa ratione potentia, et non ratione sui objecti est mobilis ab intellectu, et subordinatur illi ut moventi, et excitanti; intellectus autem nihil reale imprimit voluntati, quando illam movet, quia movet per actum immanentem, qui nihil reale ponit extra potentiam a qua elicitur; ergo voluntas sine aliquo sibi impresso, et superaddito reali est mobilis ab intellectu, et sic postquam est mota ab intellectu fertur in objectum.

XLVI. Confirmatur secundo pro sententia Vazquez. In actu voluntatis, præter id quod habet in esse naturæ, quidquid ad moralitatem pertinet, sive sit libertas, sive ordo ad rationem, est extrinseca denominatio, nec aliquid immutat in ipsa substantia actus; ergo, etc. Antecedens probatur quoad libertatem, quia libertas prout in actu non sumitur per ordinem ad potentiam ut de facto, et determinate elicentem, sic enim potius necesse est actum esse, dum de facto elicitur, sed sumitur per ordinem ad potentiam ut potentem non solum elicere, sed etiam non elicere. Licet autem actus dependeat a potentia ut elicente, non tamen dependet realiter ab illa ut potente non elicere, quia ab ista negativa potentia actus non emanat, nec habet esse, aut realitatem; ergo ordo ad potentiam libertatis realis non est actu libero. Quod si libertas actus sumatur a motivo indifferenti producendi, seu elicendi illam, adhuc non ponit aliquid reale in actu, quia stante eodem motivo, et emanatione a potentia mutari potest actio de libera in ne-

cessariam, et e contra, sine ulla mutatione in entitate intrinseca actus, solum per hoc quod tollatur advertentia rationis ex amentia, vel ebrietate, vel alia simili causa: et tamen potest continuari idem actus in entitate, sicut si loquebatur, vel volebat loqui ante ebrietatem, vel amentiam, et continuat eandem voluntatem, et exercitium loquendi etiam posita ebrietate, vel amentia, et tamen ille actus jam non est liber: ergo per hoc solum quod tollatur advertentia illa, tollitur libertas; et tamen advertentia illa nihil reale ponit in actu, quia solum se habet ut quædam inspectio, seu consideratio illius, quæ in re considerata nihil reale ponit.

XLVII. Quantum autem ad ordinem rationis etiam probatur, quia respectu entitatis ipsius actus, regulæ rationis ut lex, et prudentia, omnino extrinsece se habent, et aliquando lex est solum positiva, et ad placitum instituentis, vel auferentis legem, ergo non possunt aliquid reale inducere in actum: sicut in columna esse dextrum, vel sinistrum, aliquid rationis est, quia solum sumitur ex parte animalis, cui correspondet; et tamen posset quis dicere, quod columna per realem respectum suæ situationis respicit partem dextram, vel sinistram animalis: si ergo iste respectus non ponit aliquid in columna, ut dicatur dextra, vel sinistra, cur respectus in actu voluntatis ad regulas rationis ponet aliquid intrinsecum, cum illæ regulæ extrinsece se habeant, et aliquando in placito consistent tollentis, vel ponentis legem?

XLVIII. Respondetur ad principale argumentum negando antecedens. Ad probationem dicitur, omnes illas circumstantias etiam extrinsecas, et dispositionem legis positivæ attingi ab actu voluntatis, quatenus tangit objectum cui illæ circum-

stantiæ, et dispositio legis annectuntur. Respectus autem ad objectum, etiam si aliquo ente rationis, vel denominatione extrinseca sit affectum, potest esse realis, sicut licet pecunia habeat valorem ex voluntate principis, et dispositione legis, quæ omnino extrinseca est illi, potest tamen actu reali appeti: et multa alia, quæ in denominatione extrinseca consistunt, et pertinent ad honorem, aut dignitatem, per actus reales appetuntur, et per realissimos procurantur, ut esse iudicem, esse prætorem, aut consulem, aut jurisdictionis officia habere, quod totum in denominatione extrinseca consistit. Et logica est scientia realis, et versatur circa intentiones logicas, quæ in objectis nihil reale ponunt. Sic ergo fatemur quod esse morale in objecto nihil reale ponit quoad omnia, sed aliquando solum respectum rationis ad legem, vel privationem, aut deformitatem, si ab illa deficit. Et in hoc parificari potest esse morale objectivum, seu ex parte objecti cum esse intentionali in objecto logico: cum hoc autem stat quod in ipso actu voluntatis, et in actu, vel habitu logicæ sit realis ordo erga tale objectum, quia iste ordo non est prædicamentalis, qui requirit terminum existentem, sed transcendentalis, qui versari potest circa non existens, et circa non entia; sicut etiam per verum, et realem imaginationis actum formamus res fictas, et chimæricas.

XLIX. Nec obstat, quod objicitur moralitatem accidentaliter se habere ad actum voluntatis in genere naturæ consideratum, et sic actum non posse ferri in objectum morale per respectum ipsum transcendentalem, qui est ipsa entitas, et natura actus, alias respectus moralis, et ratio moralitatis in actu, identificabitur cum actu ipso in esse

naturæ, et sic erit ei essentialis et intrinsecus, non accidentalis. Si autem accidentalis est, et non est ipse transcendentalis respectus ad objectum, erit denominatio extrinseca, quia relatio prædicamentalis non potest esse, cum non sit ad purum terminum, sed ad objectum.

L. Sed respondetur quod ille ordomet transcendentalis quo actus voluntatis tendit ad objectum ut appetibile, tendit etiam, et tangit ipsam moralitatem, quæ in objecto reperitur, aut in ejus circumstantiis, quia totum quod est annexum, vel circumstans ipsum objectum eodem respectu, et habitudine potest actus ille attingere. Dicitur autem esse accidentaliter ipsi actui considerato in esse naturæ, non quia sit nova denominatio, aut relatio superveniens, sed quia ex parte objecti accidentaliter se habet ad bonitatem naturalem objecti, et ad ejus appetibilitatem. Unde non attingitur tamquam id a quo formaliter sumitur physica, et entitativa ratio actus; hæc enim sumitur solum a bonitate naturali objecti ut appetibile; sed attingitur tamquam aliquid accidentaliter annexum huic appetibilitati, et bonitati objecti; et tamen eadem reali tendentia, et respectu quo attingitur bonitas entitativa, attingitur et moralitas, seu regulabilitas, quæ isti bonitati accidit, sicut actus videndi eodem respectu, tendentia, qua attingit coloratum attingit accidentia ejus ut figuram, motum, quietem; licet hæc attingat tamquam accidentia illius; non tamen indiget ad hoc diversa tendentia, aut relatione superaddita, vel denominatione extrinseca, sed eadem tendentia, qua objectum specificum coloratum attingitur, etiam sensibilia ejus communia ut figura, et motus attinguntur ipso vero, et reali actu, et respectu transcenden-

tali, licet unum attingatur ut substantiale, et specificum objectum, alterum ut accidens illius. Sic ergo illo eodem actu, et tendentia qua attingitur bonitas naturalis, et objectum in ratione appetibilis, attingitur et ejus regulatio, et moralitas secundum quam illud objectum est subjectum regulis moris; licet hæc moralitas accidentaliter se habeat comparatione ad illud bonum, et appetibilitatem in esse naturæ.

LI. Sed quia hæc moralitas habet diversas species in linea morali, dividi potest actus per species morales, et non per species in genere entitativo et naturali, sicut cum actus amoris potest esse bonus, aut malus, et idem actus malus plures species morales induere ut furti, adulterii, etc. licet una accidentalis sit ad alteram sicut in actu visionis, qui tendit non solum ad coloratum, sed etiam ad figuram, et motum ejus, possunt variari diversæ species figuræ, aut motus in eodem corpore, non variato colore. Similiter e contra potest variari actus in esse naturæ, non variata specie moralitatis (quidquid sit de individuatione, quæ sequitur individuationem actus) sicut eadem virtus charitatis amat Deum et odio habet peccatum, eadem avaritia rapit alienum et negat misericordiam pauperi, quia sub eadem regulatione rationis, et legis feruntur.

LII. Ad primam confirmationem negatur antecedens. Ad primam probationem dicitur, quod moralitas de qua loquimur hic, principaliter est moralitas actus, non omissionis actus, licet intellecta prima moralitate etiam hæc secunda opposito modo intelligatur, sicut cum definitur peccatum quod est dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam, sub hac definitione comprehenditur peccatum omissionis modo opposito, scilicet non fac-

tum, non dictum, non concupitum, etc. similiter sub moralitate positiva, quæ competit actibus elicitis, et productis comprehenditur opposito modo moralitas privativa, quæ est omissionis.

LIII. Secundo addimus, quod ommissio licet secundum specificationem, et quasi metaphysice considerata non includat actum, neque positivum ordinem ad objectum, tamen in exercitio, et moraliter considerata non invenitur sine aliquo actu, vel præcedente, vel concomitante, et consequenter non invenitur sine aliqua tendentia positiva, quæ reddit omissionem voluntariam saltem virtualiter, et eodem modo reddit moralem. Unde ommissio virtualiter, et interpretative etiam est moralis per tendentiam positivam, quatenus ut ommissio consideretur voluntaria, debet considerari ut adjuncta, et participans aliquid ab actu comitante, vel præcedente, et si virtute talis actus, seu ut virtualiter, et interpretative includit illum dicitur moralis positive, non ratione sui.

LIV. Ad secundam probationem dicitur, quod voluntas non est mobilis ab intellectu nisi mediante propositione, et excitatione objecti allicientis, nec enim intellectus habet ex ratione sua movere voluntatem efficiendo, et impellendo, quod est movere ex parte exercitii, sed quoad specificationem, quod est movere ex parte objecti: et si aliquando movet ex parte efficaciam, et exercitii est secundum id quod participat a voluntate. Et sic voluntas ex parte objecti, quod attingit est subordinata rationi, et regulis ejus, quatenus ab illa dependet in propositione objecti. Et dato quod voluntas posset dependere ab intellectu per modum efficientis, et impellentis, tamen in quantum moralis non dependet a ratione, nisi mediante objecto, quia

ratio non ordinat, nec regulat actum, nisi quatenus attingit objectum, hoc enim in ipso actu ordinat ut tale objectum attingat conformiter ad rationem, et non deficienter. Unde licet ratio movens voluntatem nihil illi imprimat per modum motionis efficientis (de quo modo non disputamus) tamen actus voluntatis realem ordinem debet habere ad objectum etiam ut mensurabile est per rationem, qui ordo realis est, quia est ipse transcendentalis respectus, et tendentia ad objectum, quæ in ipso actu aliquid reale est, cum actus ad objectum reali inclinatione feratur, etiam si objectum fictum sit.

LV. Ad secundam confirmationem negatur antecedens. Ad primam probationem contra libertatem actus respondetur dependentiam actus liberi a principio elicitive illius libero, et indifferenti esse realem, quia actus realiter egreditur ab illo ut a causa reali. Et quando instatur quod libertas actus non sumitur a potentia ut præcise elicente, sed ut potente non elicere, dico id verum esse, sed ex hoc ipso sumi majorem, et diversam dependentiam realem in actu libero quam in necessario a sua potentia; quia licet ab illa negatione, quatenus potentia potest non elicere, non sit dependentia realis, tamen a positiva virtute fundante illam negationem, et sic elicente, et operante resultat in actu major dependentia, quia facultas illa, quæ ita elicit, quod potest non elicere, habet facultatem magis amplam super actum, et ponit in illo majorem dependentiam tam in fieri, quam in conservari, quia potest actus non exire ab illa potentia, et post inchoatam egressionem potest cessare ab illo. Et in hoc libera potestas maxime assimilatur Deo, a quo dependet creatura in fieri, et conservari, et hoc perti-

net ad majorem dependentiam ex parte actus liberi, et ad majorem nobilitatem potentiam ex parte modi agendi. Et hoc totum relucet in actu per ordinem ad suum principium, a quo tali potestate elicitur, quod potest non elicere, et actum ipsum destruere cessando ab illo: sicut creatura est magis dependens a Deo per hoc quod potest annihilari, et desinere esse quodcumque Deus voluerit. Et sic talis elicentia facit actum magis dependere ab illa potentia, quia licet a negatione elicendi non dependeat, tamen a potestate, quæ illam negationem, et cessationem actus potest facere, multo magis actus dependet. Quod autem actus dum elicitur, necesse sit existere, hæc necessitas solum est ex suppositione, quæ non obstat libertati: sicut etiam creatura dum est, et conservatur a Deo, non potest non esse, et tamen libere est a Deo.

LVI. Ad id vero quod ponitur ex parte motivi ad indifferentiam actus, dico quod in actibus elicitis non est idem numero actus quando est liber, et quando non est liber, posita tamen exteriori verum est, quod potest idem aut sublata advertentia indifferenti; in actu actus sensibilis externus continuari posita, vel sublata libertate ut in ebrio, vel amente, quando incidit in ebrietatem, vel amentiam, et continuat actionem, quam in sua libertate faciebat. Et ratio est, quia in actu interno, seu elicito a voluntate variatur objectum indifferentens, et manifestatio ejus, sublato iudicio, et dictamine indifferenti, quia objectum liberum, et indifferentens non potest manifestari nisi per iudicium, et dictamen indifferentens, hoc autem ita occultatur in amente, ebrio, vel somnolento, ut non possit iudicare de actu suo, et de convenientia, vel disconvenientia ejus ad rationem,

sed solum iudicat de convenientia, vel disconvenientia ejus sicut brutum, scilicet de convenientia determinata ad appetitum, vel passionem, non discernendo indifferentiam ejus.

LVII. Cujus manifestum signum est, quia toto impetu, et conatu, et impulsu fertur in opus propositum, nec moderatur, et temperat se ex arbitrio, et propria deliberatione, sed sicut brutum ex terrore aliquo, aut minis; ergo non iudicat de convenientia illa secundum indifferentiam, et moderamen rationis: latet ergo aliquid in amente, aut ebrio, seu ubi incipit actus non esse liber, nempe aliqua indifferentia objecti, unde movebatur ad moderandum, et arbitrandum, et sic aliquid amplius apparet quando objectum cum sua indifferentia proponitur, quam sine illa (quidquid sit an hoc sufficiat mutare essentialiter objectum in esse objecti, an solum accidentaliter) et sic mutatur objectum, ejusque propositio, et manifestatio, quando indifferenter proponitur, et quando sine indifferentia; ergo etiam mutatur actus.

LVIII. Quod vero dicitur advertentiam, et iudicium solum se habere ut inspectionem quamdam actus vel objecti, et hoc solum ponere extrinsecam denominationem in actu ut dicatur liber, dicimus quod ex illa cognitione, et advertentia solum resultat in re cognita denominatio quædam extrinseca, et consequenter si actus voluntatis sit cognitus per illum actum intellectus, tantum ex hac parte resultabit in illo denominatio extrinseca cogniti. Cæterum non facit hoc solum actus ille intellectus, sed potius proponit objectum, quod specificet, et regulet actum ipsum voluntatis, et sic necesse est quod in actu voluntatis resultet realis tendentia, et ordo ad objectum illud. Unde in iudicio, et

apprehensione intellectus non solum debet considerari quid talis apprehensio operetur circa rem a se cognitam (certum est enim quod in illa non relinquit nisi denominationem extrinsecam) sed debet considerari etiam quod ibi proponitur objectum voluntati, quod est specificativum ejus, neque voluntas tendit, et respicit objectum nisi ut propositum in illa apprehensione, et iudicio, et cum realiter respiciat, quia transcendentalem ordinem habet actus ad objectum, sequitur quod ad objectum sic apprehensum realis ordo detur.

LIX. Ad secundam probationem confirmationis hujus respondetur, cum dicitur quod regulæ rationis sunt extrinsecæ actibus, distinguo; extrinsece objective, transeat; extrinsece denominative, nego. Habere se autem extrinsece objective ad aliquem actum, seu ex parte objecti se tenere, non ponit in ipso actu solam denominationem extrinsecam, sed realem ordinem ad tale objectum, quia objectum principium specificativum est, et terminativum actus. Et sic non se habet sicut dextrum, vel sinistrum in columna, quia columna non se habet respectu animalis, a quo denominatur dextra vel sinistra sicut actus ad objectum, sed solum intervenit ibi situatio, et positio columnæ juxta partem animalis, et illa positio extrinseca est ad partem dexteram animalis. Nec obstat, quod regulæ istæ rationis dependeant a voluntate tollentis, vel ponentis legem, et ab aliis respectibus rationis; jam enim multis exemplis ostendimus posse realem actum voluntatis, vel intellectus attingere reali sua tendentia objectum affectum privationibus, aut respectibus rationis, vel etiam ipsos respectus rationis, aut chimeram ipsam, et res fictas attingentem; ergo et objectum ab

aliquo tali respectu dependentem.

LX. Quod si quæras, quodnam sit fundamentum istius respectus et ordinis, qui assignatur in actu erga objectum, quia non videtur assignari aliud quam ipsa libertas actus, et sic non potest excludi libertas a ratione formali moralitatis.

LXI. Respondetur quod potius si est fundamentum non erit ipsa ratio, et formalis ordo moralitatis. Sed veritas est, quod libertas non est fundamentum moralitatis quatenus præcise respicit voluntatem a qua est ut a principio indifferenti, et libero, sed quatenus capax mensurationis per directionem humanam, seu rationem, id est, quatenus aptum illi fini, quem ponit, et mensurat ipsa ratio: sicut lignum non est fundamentum, et materia formæ artificiosæ quatenus præcise est generabile a principiis naturalibus, et fit arbor, sed ut capax subordinationis ad regulas artis, et aptum ad finem talis artis: sicut ferrum non quia nascitur naturaliter in mineralibus, sed quia ex sua duritia aptum est ad scindendum subordinatur regulis artis facientis ex illa materia securim, aut gladium. Nam etiam si aliter generaretur, quam in minerabilibus si esset æque durum serviret pro gladio. Sic voluntatis actus non præcise quia est a voluntate ut a potentia indifferenti, sed quia aptus est dirigi ad finem rationis, et ad ejus regulationem est capax, et præbet fundamentum moralitati, hoc est ordinationi rationis. Nec ista relatio aliud exigit fundamentum, quia non est prædicamentalis, sed transcendentalis ordo in ipso actu erga objectum.

LXII. Ad fundamentum Cajetani supra tactum, quo probat hunc modum moralitatis esse absolutum, quia est operativus in aliquibus, respondetur quod dato hoc, quod sit

operativus quatenus invenitur in ipso habitu, qui in virtute, et in actu primo inclinatur ad producendum actum moralem, tamen hoc ad summum probat modum illum non esse puram relationem prædicamentalem, quæ operativa non est; non tamen ostendit non esse transcendentalem, quæ est ipsa habitudo actus, vel habitus ad objectum, et ad operationem.

LXIII. Quomodo autem moralitas ista, quæ accidentaliter est actui considerato in esse naturæ contrahat ipsum, et constituat speciem in genere actus voluntatis dicemus articulo sequenti, ubi utramque bonitatem, et naturalem, et moralem comparabimus.

## ARTICULUS II.

*Utrum bene assignentur principia moralitatis a Divo Thoma?*

I. Tria assignavit D. Thomas moralitatis principia; scilicet objectum, circumstantiæ, finis, quæ principia explicavit articulo II, III et IV. Præsupponunt autem ista moralitatis principia naturalem, et entitativam bonitatem actus super quam cadunt tamquam super materiam; sicut artefactum supponit naturalem entitatem ligni, et lapidis, ex qua tamquam ex materia efformatur artefactum. Unde concludens in articulo quarto doctrinam præcedentium articulorum, sic inquit: « Igitur in actione humana quadruplex bonitas considerari potest. Una quidem secundum genus prout scilicet est actio, quia quantum habet de actione, et entitate, tantum habet de bonitate ut dictum est. Alia vero secundum speciem, quæ accipitur secundum objectum convenientis. Tertia secundum circumstantias quasi secundum accidentia quæ